

di soleat, primum de hac breuiter dicamus, dein videamus de modi acquirendi in naturalem & ciuilem diuisione, denique ex his ipsis demonstremus, hanc fructuum perceptionem non pertinere ad modos acquirendi naturales.

§. III.

Plerumque quidem titulus & modus acquirendi ita finiri solent, vt vtroque sub generali notione caussae domini comprehenso, hic proxima, ille remotior dicatur. Quo quidem nescio, an quid obscurius dici possit. Videntur autem doctores, vti multis aliis in rebus finiendis, ita in his quoque obscuritatem, forte vt doctiores videantur, studio quaesuisse. Nobis autem, quibus nulla, perspicuitate & facilitate, maior laus doctrinae habetur, placet planiori via incedere. a) Modum scilicet quum in genere dicamus non tantum quantitatem rei & mensuram, b) sed & ipsam qualitatem, & in iis, quae fiunt aut aguntur,

A 2

a) a qua parum abest, qui in multis aliis quoque insignem diligentiam adhibuit, & inprimis de definitionibus recte formandis egregie sollicitus fuit, GEORG. SAM. MADTHN in *institutionibus iuris ciuilis ad ductum iustinianearum ordine naturali in usum praelectionum adornatis*, Halae 1764. editis §. 154.

b) Ita modum agri, pecuniae

dicimus. Interdum autem modi notioni id inesse videtur, vt non infinite quantitatem rei designet, sed certam & iustam, quae medium est inter nimium & parum. Ita CICERO in *Oratore* c. 22. §. 73. in omnibus rebus, inquit, videndum est, quatenus. Etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quam parum.